



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Tuba Tragica, Seu Historiæ Horroris Plenæ Dominicis Per  
Annum Concionatorio ritu aptatæ, Quibus ad oculum  
ostenditur, quàm acribus pœnis flagitia proscindat  
scelerum Ultor Deus**

**Selhamer, Christoph**

**Norinbergæ, Anno Gratiaë M.DC.XCIX.**

Concio XLVI. Dom. XXI. post Pent. Doctor Carthusianorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52721)

CONCIO XLVI.  
DOMINICA XXI. POST  
PENTECOST.

*tratus tradidit eum tortoribus. Matth. 18.*

Doct̃or Carthusianorum.



Nter omnes mundi hujus sacras Religiones, vivendi austeritate omnes alias multis gradibus superat & transcendit, ætate sua jam annos sexcentos & octoginta quatuor egressa Carthusia Opt. AA. sic omnes fateri coguntur, qui alias omnes opponunt Carthusianæ. Rectè hunc Celeberrimum Ordinem *perenne Martyrium* dixit (1) Raynaudus, quia hîc loci sine intermissione sacris pœnitentiæ operibus & rerum cœlestium meditationibus vacatur. Quatuor maximè sunt, quæ hunc Ordinem ita reddunt austerum, & tria sunt, quæ dictum Ordinem in hanc diem suo in primo flore ac fervore Carthusiani spiritus conservant; unde nec opus habet ullâ reformatione, reductione, recollectione, aut renovatione &c. quod tamen tot aliis receptum. Sicut à Divo Brunone primitus erectus est, ita hanc in horam suis stat basibus undique firmus, adamantinus, flecti aut mutari ferreus, imò in nonnullis adhuc altiùs austeritatem extulit, quàm ab ipso sit fundatore dictata. Primum, quod tam austeram, reddit Religionem hanc, est *jejunium quasi continuum, & perennis à carnium esu abstinencia*. Possent quidem quæ ægri, maximè si medici accedat imperium vel consilium, carnibus vesci; sed & ægri legem servant sanis sancitam, probatumque est multiplici experientia, eos, qui hieitè ac validè usi sunt privilegiò ægris indultò, fatis concessisse præ illis, qui legem etiam ægri tuebantur. Secundum austeritatis argumentum præbet *assidua solitudo & perenne silentium*; hinc Ordo iste legibus suis nullas patitur feminas concludi;

(1) Rayn:  
in Myst,  
Styl.  
A.

Quid  
Carthusia?  
Unde reli-  
quis omni-  
bus ordini-  
bus sacris  
austerior!

quis enim silentium constans à natura garrulis feminis imponere  
centies uno die hæc sancta tacendi lex discerperetur. Con-  
veniunt tantum festis Solibus & aliis perrare ad unam vel  
alteram horulam, ubi nihil eos loqui audias de mundo vel  
secularibus negotiis, sed de Sacris tantum, de morte vel  
plurimum & optima methodo pie moriendi. Extra hæc tempora  
quod mutis proprium, signis loquuntur, quia linguis loca  
vetitum est; id tamen indultum est, ut binis hæc vocibus  
*memento mori*, obvios saluent. Tertia tantæ austeritatis  
causa est *cilicium perpetuum*, quod nunquam ponunt, nisi cum  
detricto novum substituunt; hac itaque cilicina veste super  
nudum corpus amicti omnes labores suos expediunt; cilicium  
suo induri etiam breves somnos capessunt: verbò, quod de  
Verbo dicunt Divinò passim Theologi: *quod Verbum assumptum  
nunquam dimisit*, id suo sensu etiam Carthusianis adseritur,  
quod cilicium semel corpori suo induxit Carthusianus, nec  
se nunquam dimittit, id etiam tumulo suo inferet defunctus.  
Quartam austeritatem ceteris majorem constituit *horum  
chorus*, quo ita tardè verbatim, syllabatim horas Breviarum &  
alia Officia decantant, ut multi totum antè Breviarium  
cantando expediunt, quàm illi minorem horulam absolvant.  
Hinc totus orbis miratur, unde tot & tam grandes horum  
Surius elaborarit, & ne unâ quidem vice chorum neglexerit.  
Cum ante annos circiter 30. prima vice Buxhemii in Suevia  
propè Memmingam hunc Chorum oculus simul & aurium  
testis explorarem, candidè fateor tantus me horror corripuit,  
ut me postæ curiositatis serio pœniteret. *Obstupui, retroque  
pedem cum voce repressi.* Stabant utrinque Viri prægraves  
toti candidi, ultimò exceptò, qui ut Novitius nigro erat amictu  
obvelatus. Stabant hi penitus immoti statuz instar ære fixi  
oculis humi abjectis aut præfenti libro defixis. Prominebant  
eucullis velut ex trophonii antro vultus pallidi, emaciatissimi  
emedullati, cadaverosi, & vix ossibus suis hærentes, unde vultus  
prodiit varia quidem & multiplex, sed unius toni tragici  
lugubris, funesta, quæ unicum versiculum *Gloria Patri* tanta  
gravitate, tanta syllabarum productione evisceravit, ut ma-  
auscultandi tota patientia destitueret. Et hæc productio

diu noctūque continuatur, proscrip̄ta omni exemptione, omni  
 jubilatione & dispensatione, quam illi non aliter fugiunt quā  
 Ordinis totius funestam dissipationem. Hanc vitæ austeritatem  
 tot jam annorum centuriis continuatam adhuc hodie servant  
 illibatam. Sic de illis loquitur Alanus (2) annis antè ducen-  
 tis: *tuò dilecta Religio Carthusiana, à tempore Nativitatis tuæ*  
*nunquam maculam nosceris contraxisse! tibi è cella in cælum*  
*facilis patebit ingressus.* Sic pariter ante ducentos annos de  
 hoc Sacerrimo Carthusianorum Ordine Jodocus Marchio  
 Brandeburgensis, cum adhuc illæ regiones Catholicam fidem  
 mordicis tuerentur, Anno 1406. quo Carthusiam erexit &  
 fundavit Olomucensem, literis publicis professus est, se omnes  
 religiosos Ecclesiæ Ordines accuratè lustrasse, mox sententiam  
 promit sequentem: *inter hos verò Cætus omnium devotissimum*  
*Carum, strictiorè vitam ducentes Carthusianos animadvertimus,*  
*quorum esui caro abominabilis, cogit singulos confessores mundi*  
*delicias cum corporeis voluptatibus ultra humanam patientiam*  
*(sicut opinamur) spe salvifica penitus refutare.* Sic de Carthusia-  
 nis Sacri loquuntur, sic Profani. Joan. Mauburnus (3) miratur  
 & obstupescit, tanta vivendi acrimonia tot seculis constringi  
 posse humanam fragilitatem, signat tandem tria media, qui-  
 bus primum vitæ vigorem & rigorem fortiter & constanter  
 queretur:

(2) Alan.  
 de rup. in  
 l. de utilib.  
 Pfalt.

(3) Jo.  
 Maubur-  
 nus tit. 2.  
 alph. 8. §. 7.

*Per tria, Si, So, Vi, Carthusia permanet in Vi.*

Sensus est per *Si*, seu *Silentium*, per *So*, seu *Solitudinem*,  
 per *Vi*, seu *Visitationem* assiduam in *Vi*, seu in Vigore primo  
 durat Carthusia, ubi alii horum defectu primis à principiis  
 pridem desciverunt.

B.  
 Tribus  
 mediis  
 Carthusiæ  
 servantur.

Hæc si vera sunt AA. jure nunc quærat: quæso, cur  
 S. Bruno tam austerum Ordinem fundavit; ubi totus mundus  
 perpetim conculcatur, & pœnitentia in tumulum extenditur!  
 quid sanctum hunc Patriarcham eò induxit, ut vitæ leges  
 scriberet tam acerbis, seque cum sociis suis in silvas & abstru-  
 sas solitudines, in montes & montium cavernas procul ab  
 hominum commercio proriperent? Erat Bruno Parisiis in Gallia  
 mundi strenuus affecla studiosus; ardebat quidem jura publica in

(4) PG 54.

stois expedire; at in ictu oculi omne studium & ultrà studendi desiderium evanuit. Mundus totus ita Brunoni desipere cepit, ut vix hominem ultrà alloqui dignaretur. Malebat inter fera vivere quàm inter homines, plùs silvis addictus quàm urbibus & aulis. Cum Psalte Regio identidem (4) exclamabat: *meum conturbatum est in me, formido mortis cecidit super me; ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine*; at quòd Brunonem ita conturbavit, ut in silvas & eremos excurreret, quis ei tantos metus iniecit, ut totum hunc spectabilem mundum & mundi delicias tantoperè nausearet? terruit eum præsens Evangelium; audiit hodiè cum Rex à suis rationem exigeret, oblatum ei esse unum, qui inventus est minus habere: *iratus proin Dominus tradidit eum tortoribus*, ut memorat Evangelista; hæc non tantùm auritus testis ex Evangelio intellexit, sed simile iudicium etiam in nequam Regis coelici servum vibrari vidit ex alto quàm testis oculatus. Vidit Bruno cum fociis actui præsens tragico, funesto, rationes à Doctore Parisiensi Deo illas subito exigenti, penitè rejectas esse & reprobas, ipsum verò Doctore oreis tortoribus traditum esse æternis suppliciiis excruciantum. Qualis Doctòr fuerit, non omnes conveniunt. Raynaudus cum Petro Sutoris & Richelieu faciunt eum Theologum, Plato contra & alii fuisse videtur Jurium peritus Doctòr, quod facilius crediderim ob numerum Mammonam plùs causis forensibus quàm sacris augmentatum. Iudicium in hunc Doctorem fulminatam vidit propriè Bruno, & quod vidit, quod audivit, toto vitæ tempore in è memoria proscribere non potuit, ævi hujus Principes & Summates, cum ratio danda est, facillè possunt decipi & supplantari, hoc ipso, quòd homines sint; at quis Deum circumveniat omniscium? Novi aulam percelebrem, ubi Princeps ipse singulis septimanis accurato examine singula officiorum protocolla & rationes publicas lustravit, persuasus, nec denique falli posse tam vigilem tam industrium Visitatorem. Rursum elanculo ad hebdomadariam Principis industriam sagax atque exactus Officialis, & ut Principi ostenderet, stante hæc industria, adhuc fraudes & technas dari quamplurimas, quibus proprium in lucrum uti velint pravi & infidi Officiales, post

C.  
Doctòr  
Parisiensis  
damnatus  
prima fuit  
causa  
Carthusia.

grandes thesauros ex malè partis corradi, Principe nihil horum advertente, hæc inquam ut ostenderet, ipse intra paucos annos Principi suo depeculatus est viginti millia florenorum, interim rationes datæ, ab ipso Principe lustratæ, semper sunt probatæ. Nihil ex hac summa sibi vendicavit depeculator, sed totam per tertium, suum ad Principem devolvi fecit, ut videret, omnem vigilantiam, omnem industriam esse irritam, si fixum sit, fraudibus & dolis peculium ampliare, Deo insuper habitò & conscientia remorsu. Deum bonum! si perpetuas inter lustrationes, tanta nihilominus summa ex obliquo per Officiales corraditur, quæ summa corradetur, ubi Principes ipsi & terrarum Summates causis penè omnibus indormiunt, suis Officialibus & Vicariis Judicibus omnes causas committunt decidendas, nullam penitus ab ipsis rationem exigendo, vel datam obiter lustrando, quàm enormes opum acervi per sumum nefas colliguntur, si nullum sciant inspectorem, nullum qui aut velit aut possit ipsos judices cribrare & judicare. At habent illi suam strictissimam obligationem, jurarunt Principi suo fidelitatem, sinceritatem; *nocte dieq. suum gestant in pectore seipsem &c.* at quid si hunc privatam hunc invisibilem testem exploderent & fortiter reprimerent? quid si alid juramentum orco fecissent, nullum principi datum servandi? quin tales Judæ germani fratres adhuc hodie frequenter ad urnas sedeant judicarias, dubitari non potest, qui suas rationes annuas ita subdolè sciunt exponere, ut nec umbra fraudis appareat. Sic homo hominem ludit, decipit, fallit, ac centies circumvenit, quàm vel una vice fraus subdola notetur. At similem ludum etiam cum Deo lude? hic brevi larvam detrahet effero nebuloni; hic ociosus omnem versutiam cribrabit & exterminabit. Sic factum legimus memorato Doctore, qui tantam mundi totius nauseam peperit Brunoni & Sociis ejus. Doctor iste dicebatur Raymundus Dioces. Decantabatur Viri hujus splendida virtus totam per urbem, eoq. in pretio erat passim, ut à pluribus in coelos usque crebris laudibus extolleretur, ab aliis etiam aris digna proclamaretur; at sicut non omne id quod splendet aurum est, ita nec omnis pietas ad lydiùm veritatis lapidem probata veri nominis pietas est; Hieronymo etiam *impia datur pietas* (f) ep. ad

LII §

fallit

(f) S. Hier. ep. ad

*fallit enim vitium specie virtutis & umbrâ, vulgi rumor fit per mendacia crefcit, natus ab aura, in auram creberrima resolvitur. Vox populi vox Dei fallum est proverbium, quia centies fallit. Rumores hosce pridem obrivit (6) Iſaias: Popule meus, qui te beatum dicunt, & viam gressuum suorum dissipant: stat ad iudicandum Dominus; alia nempe iudicia in reprobos iudicaturus, quàm cœcutiens mundus iudicet, cui lumen rationis ademptum. Alius longè coram Deo stetit Raymundus, quàm foris hominibus appareret. Raymundus tanquam impius Jurista & mammonista (prout rectius Platus de quo supra memini, (7) ratiocinatur) multas impias & iniquas actiones suscepit & extorfit; multos bonis exiit & fortunis; multum & numerosum iniquitatis mammonam iuris fecit protrito jure, nec quidquam ex malè partis à se removet, exceptis eleemosynis, quas sine ulla fructu non proprio in pauperes erogavit, sed ex alieno, unde vota precèque pauperum multiplicavit. At cùm hanc pharisaicam pietatem, hanc hypocrisim & iniquitates ad supremi iudicis urnam detulisset, aliud longè iudicium tulit, quàm latum sit Parisiis. Obiit quidem in speciem piè sacris omnibus intercommunitus; at cùm publicè in æde sacra prostante cadaver, solennes exequiæ celebrarentur, hem tertia vice è secrete Caput funus sustulit, ac stupentibus & horrentibus universis tanto spectaculo affusis, primò *accusatus sum*, secundò *iudicatus sum*, tertio *damnatus sum* horrida voce auditus est proclamare. Adfuit horrifico huic spectaculo cum Socii Bruno, & soluto linguæ membrorumque omnium stupore quem tam insolitus eventus injecerat, vitæ hujus lubricam & salutis aternæ incertum statum pectore versans, Socii persuasit, calcibus mundo illis eò secedere, ubi aternam salutem, quâ infelicissimus Doctor exciderat, in tuto locarent. Hic patet vera & fundamentalis causa, cur Bruno Carthusias tanta vivendi austeritate obvallaret. Sumpsit secum senos in solitudinem pari cum ipso ex damnato Doctum metu ac horrore perculsos.*

Hanc horroris plenam tragœdiam nemo dispuret, nemo in dubium revocet; licet enim sub Urbano VIII. la

(6) Iſa. 3.

(7) Hier.  
Plat. l. 2.  
de bon.  
stat. Rel.  
6. 22.

Breviariò exclusa, veritati tamen ejus nihil inde detractum esse patebit ex dicendis. Testatur apertè Raynaudus (8) Sacram Rituum Congregationem, cujus proprium est sacris officiis & librorum Ritualium recognitioni operam impendere & curam, publicis litteris professam esse sequentia: *mens nunquam fuit Congregationis vel improbare, vel in dubium trahere propositæ narrationis veritatem; de historia illius depreianda veritate nec somniavit Congregatio.* Cur ergò expunxit? quia lectio- nes nimis erant prolixæ. Mos iste antiquus est Ecclesiæ, in sacris Officiis Sanctorum, qui Religiosas familias instituerint, recensere vitam eorum, non verò causas, ex quibus ad instituendum Ordinem sint impulsæ. Ceterum stant pro hac tragœdia mordicus defendenda Classici Authores minimùm 60. qui omnes pro primo fundamine & angulari lapide Ordinis Carthusiani præsentem tragœdiam allégant. Hæc tot authoribus suffulta historia non sit authentica? multò minus authentica dixeris quæ scripsit Metaphrastes, Lippomanus, Surius, Kosweidus aut Bolandus. Raynautus tanti facit hanc historiam, ut post Canonicos Scripturæ libros, facti hujus veritatem primo statim loco proponat his verbis: *si hæc narrationis stabilis non sit idonea, contende, nulla deinceps fore Sanctorum acta extra Scripturam Canonicam, quorum Veritas non vacillet.* Mart. Delrio (9) vocat hunc Doctorem *ter mortuum*; ut enim historia meminit, surrexit è tumba singulis diebus per triduum, cum vigiliæ canerentur, & illa lectio, *Responde mihi*: primo quidem die exclamasse dicitur *accusatus sum*: alterò *judicatus sum* & tertio tandem *dammatus sum*, ut adeò hæc tragœdia primùm fuerit 3tio die expedita, ut sciri posset, quorsum Doctor iste delatus.

Sed hæc ipsa ratio erat Theologica, quæ difficilem fecit & dubiam reddidit historiæ hujus narrationem. Nata est hæc difficultas ex eo, quòd judicium particulare, quo quivis homo malus damnatur, mox post hominis obitum peragatur, quod tanquam veritatem Catholicam statuit & proclamât (10) Suarez, multas hanc in rem Scripturas producens & SS. Patres. Suffragatur huic sensui proportio ad eos ducta, qui omninò nitidi hinc excedunt; de fide enim est, eos mox gloriam assequi, quod

(8) Rayn. t. 9. in Hagiol. Exot.

D. Historia de Paris. Doct. certa est, licet sit Breviariò exclusa.

(9) Delr. Disquis. l. 2. q. 26. Sect. 5.

(10) Suarez. t. 2. d. 3. d. 52. Sect. 2.



(11) Eccli.  
11.

quod utique sine iudicio particulari prævio fieri non potest; pariter ergo malus, in ipso puncto animæ à corpore suo avulsa, suum iudicium excipit juxta illud (11) Eccli. *in fine hominis denudatio operum ejus.* Tunc sicut cessat tempus merendi, sic etiam tempus cessat demerendi. Merito itaque tunc reprobis, jacente adhuc in lecto corpore, sententiam suam excipit, & ex illo ipso momento pœnas subit decretas. Quomodo ergo in tragœdiæ hujus narratione signatè dicitur, hunc reprobum Doctorem primo *die accusatum*, secundo *judicatum*, & tertio primum *damnatum* esse? Suarez paulò antè citatus Hispaniæ Doctor, agnoscit in hoc ipso exemplo, nullam temporis prorogationem inter mortem Doctoris hujus, & inter particulare iudicium illius intercessisse, rem tamen & historiam præsentem nobis sine ulla falsitate modo nobis aut nostris hominum iudiciis accommodato exhibitam esse, etsi non eo modo & ordine, quo actu contigit. Sic plus horrore incultum est spectantibus animis; sic altius hæsit memoriâ reconditum, quod per solitum triduum tardè ac nervosè singulis fuit inculcatum. Nihil adeò per hanc iudicii distinctionem ad caput plebis productam, detractum est primis Theologiæ principis, ut fufius probat (12) Thyraeus. Nunc ad historiam revertimur, cujus veritas prius suis ritè testimoniis debuit obfirmari.

(12) Thyraeus tract.  
de appar.  
c. 13. n. 43.E.  
Documenta huic  
tragœdiæ  
suffragia.

Quid ergo mei Auditores ex hoc tragico damnati Doctoris exemplo, qui primum lapidem Carthulii posuit, domum nobiscum deportemus? sufficit AA. si duas diurnas voculas illas, quibus nos obvios Carthusiani salutarent, nobiscum deferamus, *memento mori*, & nos adeò eminè ad mortem præparemus, sed melius, sed sanctius quàm Doctor iste, pessimè persuasus, se etiam Numen in cœlis excoecaturum, sicut homines in terris decepit. Ah nemo sit, qui Doctoris hujus vestigia premat sequendo, & cum illo fucata pietate præferat, eleemosynas ex alieno in pauperes disperiat, & nominis famam in terris, non item in cœlis aucupandam. Larvam huic hypocritæ justum Numen abripuit, eumque ore ad iudicavit, ut omnes alii damnò saperent damnati Raymundi. Ah nemo sit, qui cum hoc legista mori præsumat, qui nec

misellos ad incitas redegit, tot impias causas suo patrocinio firmavit, tot pravas actiones in longum & in latum protraxit, donec ab utraque parte pinguibus oblati ungeretur, & quod uno poterat triduo expediri, totum in triennium protelavit, donec alterutra factio satis concederet; quibus modis ac versutiis tot iniquitates Raymundus commisit, ut Deus ultra nollet tantum scelus terras obambulare.

Singuli potius serio cogitatu mortem revolvant, quæ vel æternum beatæ, aut æternum damnatæ perennitatis prima ponat principia sine fine. Hieronymo (13) teste, *qui se castigat esse moriturum, contemnit facile presentia, & ad futura festinat.* <sup>(13) S. Hier ep. ad Paulinum.</sup> Qui cogitat se moriturum, at unâ nescit, quando, quomodo & ubi locorum sit moriturus, omnibus horis, omnibus locis diffidet. Omnes dies reddet suspectas, quid si hodierna, quid si crastina esset ultima? an hæc & hæc tunc etiam attentarem, quæ modò temerariis ausibus attrecto? an hodierna an crastinâ quoque tam luridè visitarem, prout lapsis diebus vixi? nunquid potius in tuto salutem meam collocarem, ut possem fausto subsidere diem supremum obire? nunquid adhuc ante solis occubitum cum hostibus meis pristinam in gratiam redirem, omni rancore procul è præcordiis profligato, ut ego quoque scelerum meorum veniam summo à Deo reciperem? an etiamnum lucro impio per summum nefas inhiarem? nunquid potius quidquid alienum bursam irrepit, procul à me removerem? nunquid cum Deo agerem candidè, & meo solius peculiò mihi amicos conciliarem, quorum preces pro me affatim fundendæ cælos penetrent. Doctor iste largas quidem suppetias pauperibus tulit, at Deus oblata furtò alteri ablata nec recipit nec respicit, nec pauperum sic lactatorum preces exaudit. Eleemosynis hisce nemo cælos mercatur, sed orcum potius. Nunquid tandem totis viribus poenitentiam apprehenderem, animos candida exhomologesi purgarem, meque Sacris omnibus ritè præmunitum morti aptarem & iudicio, quod presso pede mortem sectatur? Cum ergò nesciam, quando mihi sit prolixa æternitas adeunda; quando mihi coram Iudice standum sit omniscio,

M m m

omnis

omnis hypocriticæ fallitatis, omnis iniquitatis acerrimo ultore, vivam hodie, quasi crastinam non sim visurus, *memento mori*; hodie adhuc elaboro, quod moriens optarem elaboratum esse juxta tritum illud Poëtæ, & jam sapius obtrusum lemma:

*Omniem crede diem tibi diluxisse supremum,  
Fac modo, quæ moriens facta fuisse voles.*

Prout nuper monuimus; sic nostra ex funerali tumba melioris notæ oracula speramus proditura, si & nobis datum esset ex feretro caput levare, quàm visa sint ex Raymundi tumba prodierunt. Diceretur quidem primitus, *accusatus sum*, à diabolis; at quia singula factæ accusationis capita à puncta sacris pœnitentiæ operibus, malè partarum canticis restitutione; ardenti charitate in Deum & in proximum meum funditus expiavi, fui quidem à justo Judice *etiam* *judicatus*, sed à morte ad vitam omnibus gratiis, omnibus deliciis affluentem, quam mihi clementissimè largiri dignetur Pater Filius & Spiritus S.

Amen.



CONC.